

DE

NOTIONE ATQVE INDOLE

ORGANISMI,

TAMQVAM

PRINCIPII MONARCHICI

PER VNIVERSAM NATVRAM VIVAM

COMMENTATIO.



BVDAE

TYPIS TYPOGR. REG. SCIENT. VNIVERSIT. VNGARICAE

MDCCCXXX.

QVAM

A. D. VII. CAL. QVINCT. MDCCCXXX.

QVO

MEMORIA

REGIAE LITERARVM VNIV. VNGARICAE

ANTE HOS L ANNOS

PER

IMPERATRICEM

AC

REGINAM AVGVSTAM

DIVAM MARIAM THERESIAM

INSTAVRATAE

FESTIVE CELEBRATVR,

LITERARVM FAVORIBVS ET AMICIS


OFFERT

LUDOVICUS SCHEDIUS,

AA. LL. ET PHIL. D., PHILICALIAE AC PHILOGIAE PROFESSOR,
I. ORDINIS PHILOS. SENIOR, PLVRIVM II. COMITATVVM ASSESS.
ACAD. CHARCOV. HONORARIVM, SOC. REG. SCIENT. GÖTTING.
CORRESP. MEMBRVM, LATINAE IEN. SOCIVS CET.

An non cernimus optimo cuique dominatum ab ipsa natura cum summa utilitate infimorum datum? Cur igitur Deus homini, animus imperat corpori, ratio libidini iracundiaeque et ceteris vitiosis eiusdem animi partibus? — —

AUGUSTINUS contra Julian. pelag. IV., ff: 61.
(Vid. M. T. CICERONIS de republica,
quae supersunt, edente Angelo Maio;
lib. III. c. 25.)



Organismi vitaeque inde manantis notiones, quatenus ad pulcritudinem, cum in rebus naturae, tum in operibus artis conspicuam, accuratius explicandam pertinebant, in „Doctrina pulcri“ anno abhinc altero typis vulgata *) ad finem ibi propositum accommodatae, strictim tamen, evolere conabar. Qua in re complura, quae a recentioribus etiam naturae physicae pariter ac psychicae scrutatoribus praetermissa putabam, rectius in censum sumpta, faciliorem aliquanto propioremque, quam qui hucdum patebat, accessum ad fontem principiumque vitae munire videntur. Cum vero haec ad alias quoque rerum formas applicata modicam iis lucem adspargere queant, nunc, opportunitate hac festiva, qua conamina literatorum fortasse solito maiore attentione digna censebuntur, ad alium deducta finem, paucis exponere volebam.

*) Titulus operis est: „Principia Philocalliae, seu doctrina pulcri ad scientiae formam exigere conatus est Ludovicus Schedius. Pesthini, 1828. 8.“ De recta Organismi notione agunt §§. 117 — 125, et 139. 143.

*Ipsa profecto IMM. KANT *) salebras, in quibus haec res haeret, indicans ait: „Indem man alle Principien des Lebens in der ganzen Natur als so viel unkörperliche Substanzen untereinander in Gemeinschaft, aber auch zum Theil mit der Materie vereinigt zusammen nimmt, so gedenkt man sich ein großes Ganzes der immateriellen Welt, eine unermessliche, aber unbekannte Stufenfolge von Wesen und thätigen Naturen, durch welche der todte Stoff der Körperwelt allein belebt wird. Bis auf welche Glieder der Natur aber Leben ausgebreitet sei, und welches diejenigen Grade desselben seien, die zunächst an die völlige Leblosigkeit gränzen, ist vielleicht unmöglich jemals mit Sicherheit auszumachen.“*

Tentanda igitur via est. Certe quamdiu doctissimi quique ac sagacissimi viri, in hoc studiorum genere desudantes aperte fatentur: „principium vitae proprium in natura incognitum adhuc latere,“ nullus, quantumlibet tenuis, conatus adyta haec penetrandi contemnendus, minimus autem quisque progressus lucro apponendus esse videtur.

*) In commentat: „Träume eines Geistessehers“, quae continetur in Eiusd. Vermischte Schriften; herausgegeben v. Tieftrunk. Halle 1799—1807, 8. im II. B. S. 272.

Quascunque res ad complexum huius universi sensibus nostris obiecti spectantes percipimus, eas initiis (*ἀρχαῖς*) aliis inertibus, agentibus aliis, constare liquet; haec Potentiae, illa Materiae nomine signari queunt. Omnes enim fere Philosophorum familiae, diversissima ceterum dogmata sequentes, in suprema eorum, quae sunt, partitione magis minusve clare ac diligenter haec discernunt. Jam THALES Ionius, qui aquam dixit esse initium rerum, huic tamen adiunxit mentem, id est vim moventem, quae ex aqua cuncta fingeret; ut CICERO ¹⁾ diserte memorat. Cum ANAXIMANDER

1) CICERO de natura deor. I, 10, 25. ed. Ernesti. — Quamobrem ARISTOTELES in libro de anima I, 5. ait: *ἐν τῷ ὅλῳ τινὲς ψυχὴν μέμχθαι φασίν, ὅθεν ἴσως καὶ Θαλῆς ᾤήθη πάντα πληρῆ θεῶν (ψυχῶν) εἶναι*, cuius sententiae quidem etiam CICERO de legibus II, 11, 26. meminit.

Milesius infinitatem naturae (τὸ ἄπειρον) adstruxit esse, a qua omnia gignerentur, Materiam tantum commemorare volebat, Potentiam (haud ignorans, at minus accurate tantum) praetermittens. 2) ANAXAGORAS primus omnium, ut CICERO asserit 3), rerum descriptionem et motum (non tantum vi ac potentia finita, velut Thales et Anaximander ante eum statuerant, sed) Mentis infinitae vi ac ratione designari et confici voluit. 4) Pari modo reliqui etiam Ionicae Scholae Philosophi, ac posteriores quidem longe apertius, hanc supremam rerum analysin proponebant. 5)

2) Ita certe iudicat PLUTARCHUS in placit. Philos. I, 3. τὴν μὲν ὕλην ἀποφαινόμενος, τὸ δὲ ποιοῦν αἰτιῶν ἀναίρων (vel ἀνορῶν i. e. περιορῶν). Recte nempe addit: τὸ γὰρ ἄπειρον οὐδὲν ἄλλο ἢ ὕλη ἐστίν· οὐ δύναται δὲ ἢ ὕλη εἶναι ἐνεργεία, ἂν μὴ τὸ ποιοῦν ὑποκείται.

3) CICERO de nat. de or. I, 11, 26.

4) DIOGENES LAERT. II, c. 6. aequè aperte dicit: Ἀναξάγορας πρῶτος τῇ ὕλῃ νοῦν ἐπέσκησεν. Clarius multo EUSEBIUS in praep. Evang. X. 14. Ἀναξάγορας πρῶτος διήρθρωσε τὸν περὶ ἀρχῶν λόγον. Οὐ γὰρ μόνον περὶ τῆς πάντων οὐσίας ἀπεφῆνατο, ὡς οἱ πρὸ αὐτοῦ, ἀλλὰ καὶ περὶ τοῦ κινουῦντος αὐτὴν αἰτίου.

5) Conf. Heinrich Ritter's Geschichte der ionischen Philosophie. Berlin 1821. 8. coll. (Hall.) Allgemeine Literatur. Zeitung. 1822. No. 22.

Eodem quoque redit, si solertius examinetur, sententia Pythagoreorum, qui loquendi modo symbolico ad usitatissimam iis disciplinam pertinente usi, e numeris et mathematicis initiis proficisci dicebant omnia. Intelligentes sane huius asserti sensum ita explicat **SEXTUS EMPIRICUS**: 6) initia, quae agentis principii rationem sustinent (proin Potentiam), a Pythagoreis *μόναδα*, unitatem, vocari; quae Materiae passivae (inertis) rationem continet, esse *δύαδα*, duplicitatem; ex unitate autem et duplicitate *ἀριθμὸν*, numerum, existere.

Neque doctrina Eleaticorum, qui tamen „unum esse omnia, neque id esse mutabile,“ censebant, 7) huic asserto refragabatur, utpote inter quos **PARMENIDES** diserte hoc sensu distinxit in *σοιχείοις*, i. e. primis rerum principiis, *πῦρ καὶ γῆν*, ignem et terram; illud nempe agentis, seu operantis

6) In libro advers. *Mathemat.* p. 426. φασὶ δὲ, ἐν ταῖς ἀρχαῖς τὸν μὲν τοῦ δρωῦτος αἰτιου λόγου ἐπέχειν τὴν μόναδα, τὸν δὲ τῆς πασχούσης ὕλης τὴν δύαδα. Sententiam Pythagoreorum vario modo a veteribus et recentioribus tentatam iusto subtilius interpretari, et ad recentissimorum philosophorum placita revocare conatur **H. Ritter**, *Geschichte der pythagorischen Philosophie*. Hamburg 1826. 8. a. pag. 80 — 159.

7) Conf. **CICERO** acad. quaest. II, 37. — **Simplicius** ad **SEXT. EMP.** pyr rh. hypoth. I, 33. ait: τὸ ἐν τούτῳ καὶ πᾶν θιὸν ἔλεγεν.

(vis), hanc autem materiae (inertis) tenere ordinem statuens. 8)

Democriti sectatores denique, atomorum defensores, aequè ad huius sententiae suae indolem et formam accommodate docebant, atomos alias igneas esse, quae rotundae ac per se mobiles sint (potentiam), alias autem frigidas, quas angulatas atque inertes dicebant (materiam). 9)

Ita Philosophi veteres, tametsi cuncta, quae sunt, ad unum quoddam rerum initium ac principium (materiale) referre nitentur, tamen aliqui tacite atque obscurius, clarius et diserte alii, idem illud in Materiam et Potentiam discescebant. Recentiores vero, agnita certe prius differentia inter Materiam et Potentiam intercedente, tantum ad philosophiae officium pertinere putabant ostendere, utramque unum idemque esse; quo tandem factum est, ut alii cuncta ad Materiam, ad Potentiam omnia alii revocarent, alii demum utramque indivulsè iunctam esse contenderent.

Sicuti vero mens nostra meditando Potentiam et Materiam a se invicem discretas concipit,

8) Vid. **DIÓGENES L. IX, 3, 2.** Parmenides ἀπέφηνε δύο εἶναι σοιχεῖα, πῦρ καὶ γῆν καὶ τὸ μὲν δημιουργοῦ τάξις ἔχειν τὴν δὲ ὕλης.

9) Quod diserte refert **ARISTOTELES** in libro de caelo III, 4. et de anima I, 2.

utramque igitur puram cogitat, ita utramque etiam per se reapse separatam esse ac consistere posse, dubio caret. Sensibus tamen nostris, quibus omnis experientia continetur, alteram absque altera nusquam percipere licet; his proinde neque Potentiam puram, neque Materiam puram apprehendere datum est. Sensus enim hi pariter e Potentia et Materia arctissime iuncti, tantum conscientia huius coniunctionis intimae absolvuntur. Quidquid igitur sensibus obiicitur, id quod universam rerum corporalium comprehensionem efficit, iam et Materiam et Potentiam simul unitas sociatasque complectatur, necesse est.

Haec tamen coniunctio Materiae cum Potentia, quae se ubique sensibus offert, semper a Potentia tanquam principio actuoso proveniens, duplici modo efficitur; vel propria Potentiae ipsius actuositate in Materiam se se insinuante, vel Potentiae per alienam Potentiam indita impulsione in Materiam transeunte. Prior ille modus, cum Potentiae cuiusdam indoli suae convenienter atque ex se agentis accessio ad Materiam fit, spontaneam internamque seu intimam coniunctionem refert, qua cuncta nasci, *φύεσθαι*, dicuntur, unde Naturam, *φύσιν*, appellamus. Ubi vero potentiae alicuius ad Materiam accessio tantum alius Potentiae impulsu aut directione procuratur, externa solum adest coniunctio. Quae si certo fine ac

consilio fit, quo res aliae aliis applicari, aptari, ἀρσσαι, ἀρσάσθαι, dicuntur, Artem efficit, quatenus Naturae opponitur; ¹⁰⁾ quae vero absque certa destinatione obtinet, neque ad scopum quendam propositum dirigitur, Casus eventusque coecus vocari solet, artis seu artificii speciem saepe mentiens.

Ac certe ob intimam illam Potentiae Materiaeque coniunctionem in rebus, quas natura nobis offert, sensus nostri nullum amplius discrimen inter utramque, velut puram, advertere queunt. Unde ii, qui solo sensuum testimonio iudicioque nixi (empirici) rerum initia et εἰσῆλθα scrutari solent, ultra Materiam empiricam, quae iam ipsa Potentiae admixtione a Materia pura differt, haudquaquam assurgentes, eam velut primitivam assumerunt. Hi scilicet ea, quae sensuum experientia comprehenduntur, ab iis, quae solius mentis operatione, ac meditatione dignosci queunt, haud solerter satis discernentes, sive philosophicae subtilitatis defectu, sive orationis ad philosophiae subtilitatem nondum excultae vitio, perceptionibus rerum notionibusque ut plurimum confusis, partim repugnantes sententias ac tenebras assertis suis intulerunt, partim ad incertam

10) Quo sensu a BACONE DE VERULAMIO ars dicitur: „rebus additus homo.“

rerum apprehensionem dubitationemque delapsi sunt. Unde profecto cunctos Philosophiae veteris in hoc genere errores derivare licet, quibus multi quoque hac nostra aetate eo magis implicantur, quo magis haec *εμπειρία* recentiori aevo adminiculis innumerabilibus ad sensuum aciem augendam inventis, tentaminibus infinitis atque investigationibus acutissime institutis perfecta est.

Quae igitur inter Materiam puram et Vim puram existit coniunctio intima, ea Materiam empiricam omnem gignit atque universa naturae corpora. Ingens autem horum varietas, quae sensibus animadvertitur, nequaquam e Materia pura originem trahit, quippe quae in se una eademque partibus omnino similaribus consistit: verum e Potentiae purae ad Materiam accedentis diversa indole, utpote actuositatis variam determinationem, directionem, intensionem speciemque adeo continente, derivanda est.

Potentiae nempe purae actuositas alia immanens esse potest, in se ipsam directa, alia vero transiens in Materiam quandam aut Potentiam aliam; qua in re quidem iterum ea differentia concipi potest, ut haec directio actuositatis vel una tantum determinata ratione viaque transeat in aliud quid, vel pluribus modis viisque. — Intensio actuositatis aequae varia certe assumi potest, ita, ut alia Potentia intensionis gradu

maiore, alia minore gaudeat; et quidem ea cum differentia rursus, ut haec intensio actuositatis vel unum eundemque duntaxat definitum tenorem in eadem Potentia continenter servet, vel aliqua Potentia pluribus ac diversis gradibus intensionis polleat, quibus ad agendum se determinare possit. — Species denique actuositatis omnino alia est in ea Potentia, quae, dum agit, ab eo, in quo, vel in quod agit, semet discernit, i. e. sui conscia est; alia vero est in ea Potentia, quae agendo nunquam se discernit neque ab eo in quo, neque in quod agit, i. e. sui conscia non est. Atque illa sui conscientia iterum vel in humili quopiam atque arcte definito gradu tantum consistere potest, ita ut neque ab omnibus aliis, in quae agit, neque aliter, nisi obscure, se discernat; vel illa sui conscientia perfectior est, quae nempe a longe pluribus, aut ab omnibus aliis, in quae agit, et quidem clare aut distincte, semet discernere queat. Potentias vero hac specie actuositatis differentes diversis quoque nominibus distinguimus; illa nempe Potentia, quae sui conscia non est, *Vis*, $\zeta\varsigma$, $\iota\sigma\chi\upsilon\varsigma$, vocatur; haec autem, quae sui conscia agit, *Mens*, $\nu\omicron\omicron\varsigma$ ($\nu\omicron\upsilon\varsigma$), appellari solet.

Iam vero Virium et Materiae coniunctio aliam certe corporum speciem proferre debet, si vires unius eiusdemque indolis ($\delta\mu\omicron\gamma\epsilon\upsilon\epsilon\iota\varsigma$), vel

una eademque Vis, Materiae partibus adiungitur, aliam autem, si Vires plures diversae indolis (*ἑτερογενεῖς*) ad Materiam accedunt. Scilicet e coniunctione Virium plurium eiusdem speciei, vel Vis unius, cum partibus Materiae, haud alia provenire possunt corpora, quam prima, quae vulgo simplicia dicuntur, i. e. elementa physica; quae, quia tantum e Materia pura et Vi pura intime nexis consistunt, resolvi absolute quidem possunt in haec sua initia, at quia haec eadem sensibus nostris tamen haud amplius percipi queunt, empiricam dissolutionem non ferunt.

E coniunctione autem Virium variarum diversae indolis cum partibus Materiae nascuntur Corpora secundaria, quae magis composita vocantur; omnia nempe, quae praeter elementa physica rerum Naturam constituunt.

In utraque hac rerum classe, quam experientia suggerit, alia rursus advertere licet corpora, quae aequalem, alia, quae inaequalem continent Materiae Viriumque coniunctionem. Inaequalis quidem inest illis, in quibus vel Materia vel Vis potior est, quo alterius utrius essentialis notae praevalet atque abundat. Aequalis vero est coniunctio, dum et Materiae et Vis essentialibus notis pari gradu conspicuis, altera alteram non tantum non opprimit, sed potius sublevat; quod tamen

alium sortitur effectum in elementis physicis, alium in corporibus magis compositis.

Atque in elementis his, seu corporibus simplicibus, aequalis coniunctio iam e puro conceptu suo ¹¹⁾ easdem notas requirit, quas eidem convenire solers experientia quoque confirmat. Nempe

a) Vis corpori cuidam inditae ad Materiae suae partes eiusdem omnes determinandas sufficiens actuositas, et simul Materiae eiusdem inertia Vim totam plene occupans, patescit e certa corporis determinatione (*Bestimmtheit*), qualem saepe in coloribus, sonisque simplicibus, metallis eliquatis, in ipso lucis nitore advertimus.

b) Vis alicui corpori propriae simplicitas ad Materiae suae partium cunctarum comprehensionem aequae idonea, et contra Materiae partium ad Vim suam explendam sufficiens copia, parem et aequabilem omnium ac singularum corporis illius partium comprehensionem efficit, qua sit, ut in coloribus, sonis, metallis cet., quae hac aequali coniunctione gaudent, omnes partes pari vigore contineantur, quin ulla delitescat torpeatque, neque ulla magis compressa quam altera deprehendatur.

11) Conf. Principia Philocaliae pag. 31. sqq.

12) *Vis* eiusdem, quae uni alicui corpori inest, simul in pluribus aliis corporibus agendi communis potestas, et eiusdem corporis *Materiae* singularitas certum spatium occupans, apparet e characterere speciei determinato corpori singulari (individuo) inhaerente. E quibus notis absolutis tamen, si eae ad Subiectum aliquod percipiens referuntur, existunt notae relativae, quas aestheticas dicimus, firmitatis, puritatis et significantiae, ad pulcritudinem aestheticam in corporibus anorganicis pertinentes. 12)

In corporibus vero secundariis, magis compositis, *Virium* variarum diversa indole praeditarum coniunctio aequalis cum partibus *Materiae* alium omnino effectum producere debet, quem e notione pura conceptum 13), rerum usus aequè commonstrat. Ubi nimirum *Vires* multae dispaes, suis quaeque *Materiis* intime iunctae, aequaliter inter se uniendae sunt, id secus fieri haud potest, nisi *Vis* aliqua superior ceteras omnes tamquam inferiores 14) ita complectatur, ut hae quidem per se omnino agentes, superioris tamen *Vis* directionem pariter sequantur, qua tamquam

12) Vid. Principia Philocaliae §. 115. sq. et §. 229.

13) Vid. l. c. p. 32. sq.

14) Vid. l. c. §. 40. et 100.

communi vinculo et inter se continéantur, et alienae Vires ad complexum huius corporis non pertinentes, arceantur. Haec aequalis coniunctio corporum tamen, sicut e conceptu eiusdem puro intelligitur, ita in experientia sane, rursus aliter evenit, si interna (intima), aliter si externa est.

Quando nempe coniunctio aequalis inter Vires dispaes et Materiam intercedens externa est, certe Vi superiore id efficere potest, ut Vires inferiores, suis materiis iunctae, contineantur, diriganturque ad complexum quendam sustinendum, verum externo tantum impulsu, non interna comprehensione, neque proinde mutua conservatione vel instauratione. Vires hae inferiores agunt quidem tamquam instrumenta Vis superioris, sed externa, quasi aliunde adscita; recte igitur machinae, μηχαναὶ, dicuntur; unde Vis ipsa superior ceteras regens mechanica Vis est, coniunctio autem haec aequalis externa inter Vires diversas et Materiam est Mechanismus; corpora denique hoc modo comparata mechanica corpora, Machinas compositas, esse dicimus.

Ubi vero coniunctio aequalis interna simul est, Vires inferiores quasvis, Materiis suis aequae intime nexas, spontaneo ac proprio motu suo ita directas et intensas continet, ut, licet omnino pro se agant, tamen etiam simul totidem adminicula et instrumenta sint, ad supremas Vis directionem

intensionemque sustentandam et conservandam, quae Vis eadem superior vicissim illas inferiores tueri ac reficere valet. Vires inferiores, suis materiis iunctae, tamquam instrumenta spontanea Vis superioris, Organa (quasi ὄργανα) vocantur; proinde Vis illa superior, quae ceteras regit atque tuetur, organica Vis, ipsa haec virium ac Materiae coniunctio aequalis interna Organismus, corpora vero hoc modo effecta organica corpora compellantur.

In Organismo igitur coniunctio intima et aequalis inter Vires dispares et Materiae partes intercedens id efficit, ut proprietates Vis et Materiae, licet sibi oppositae, in eodem corpore tamen se mutuo suppletes et exaequantur coalescant. Etenim

a) Inertiae Materiae per actuositatem Vis intime sibi iunctae suapte movetur (motu interno), sicut ex adverso actuositas Vis per Materiae, cui intime nexa est, inertiam excipitur ac restringitur; quo fit, ut quod ob Materiae inertiam deficit, actuositate Vis suapte instauretur (intus susceptio); unde motus organicus existit, seu vita corporea, vita physica.

b) Partes Materiae per simplicitatem Vis intime sibi unitae continentur, sicut e contrario simplicitas Vis per Materiae partes intime sibi nexas et spatium occupantes expletur; quo fit, ut

quod ob Materiae partes plures iuxta et extra se positas extensum est; id simplicitate Vis intra limites certos coërceatur, unde Totum efficitur, unitas organica. (c): Quod in Materia singulare semper est; per id, quod Vis commune habet, ampliatur; ac vice versa, quod Vis commune habet, id Materiae singularitate limitatur; inde autem character speciei (et generis) singulari cuique corpori accedit, organicus character specialis. Quoniam vero superior Vis, quae Vires plures diversas et Materiae partes hoc modo aequaliter intimèque mutuo iunctas tenet, tantum Potentia sui haud conscia, adeoque inferioris speciei est, Organismum inde nascentem quoque inferioris tantum ordinis esse patet, qui tum vegetabilis, tum animalis dicitur, diversis plantarum et corporum animalium formis conspicuus. Quilibet autem Organismus eiusmodi simplicior evadere potest organum amplioris alicuius Organismi, plures Vires et Materias pariter organice iunctas superiore quadam Potentia completentis. Quo plures ergo tales Organismi inferiores tamquam totidem organa singularia, ad superiorem aliquem Organismum efficiendum conspiciant, eo nobilior Potentia sit oportet, quae Totum eiusmodi organice iungat regatque.

Praestantiam. vero Potentiae maiorem esse liquet,

a) quo maiore intensione atque *ἐνεργεία* pollet, qua pluribus Organismis inferioribus ad altiorum aliquem Organismum constituendum comprehendendis regendisque sufficit;

b) quo nobilioris est speciei, respectu actualitatis suae, quae vel sui conscia haud est, vel sui tantum obscure conscia, vel sui clare conscia, adeoque semper magis magisque clarescente conscientia praedita.

Inde facile intelligitur, Organismum infimi ordinis quaerendum esse in corporibus tam vegetabilibus, quam animalibus generatione aequiva vel primitiva natis. 15) Altior iam et praestabilior certe Organismus est eorum corporum, quae generatione homogenea procreantur, et quidem monogenea; quo dein porro nobilior omnino est Organismus eorum, quae generatione homogenea digenea propagantur, in quibus nempe Organismos plures inferiores unum quendam altiorum Organismum efficere videmus. 16) Ideo dein etiam vegetabili Organismo animalis antecellit; inter animantes autem mammalium Or-

15) Conf. R. F. Burdach Physiologie als Erfahrungswissenschaft. Leipzig. 1826. I., 8. ff.

16) Vid. Burdach l. c. p. 85.

ganismus ceteris praestantior habetur¹⁷⁾; inter mammalia denique species humana Organismo nobilissimo pollet.

Aequalis nempe coniunctio intima, qua Potentia clare sui conscia, seu Mens, ψυχή, cum Organismo animali, e plurimis inferioribus organis constantem, pari virtute consistit, proprie Organismum efficit eminentiorem, quem psychicum appellamus. Quemadmodum enim Organismus physicus, ut supra meminimus, Vires inferiores suis Materiis nexus Vi superiore intime atque aequaliter iungit: ita hic Organismus psychicus Vires partesque corporis animalis Mente sua, ceu Potentia superiore sui conscia, continet atque ita regit, ut, licet illae per se ac pro se agant, tamen etiam simul totidem organa sint, ad Mentis directionem intensionemque sustinendam ac tuendam idonea, Mens autem vicissim illas Vires partesque fovere, easdemque integras et aptas conservare valeat. In Organismo psychico igitur

a) corporis vires partesque, naturali tantum spontaneo motu, sui tamen haud conscio, polentes, accedente Mentis intima et aequali coniunctione, actuositatem sui consciam et intelli-

17) Vid. Ofen's Naturgeschichte für Schulen, Leipzig 1821. 8. S. 572, 4.

gentiam recipiunt, adeoque vita physica extollitur ad vitam eminentiorem psychicam.

b) Unitas organica corporea, quae in Organismo physico adest, hic assurgit ad unitatem altiore[m] psychicam, sui nempe consciam, seu ad claram intimae coniunctionis inter Mentem et Materiam intercedentis conscientiam, quae sensus clarus est.

c) Character specialis organicus, quem Organismo physico inesse vidimus, evehitur in characterem organicum psychicum, seu instinctum rationalem; i. e. Mens indoli suae convenienter liberè dirigit Materiam intime sibi iunctam, proinde sibi repugnantem, sua tamen etiam propria lege agentem.

Cum autem Potentia, quae Organismum psychicum animat et regit, sui conscia sit, adeoque ad superiorem pertineat ordinem, ut supra dictum est: ipsum hunc Organismum quoque superioris esse ordinis patet, nempe Organismum humanum, Naturam humanam. Quare Organismus animalis in homine, corporis fabricam continens, tamquam inferior, ab Organismo eiusdem psychico, velut superiore, probe discernendus est. Potest enim aliquis Organismi animalis perfectione pollere, quin Organismo vere psychico gaudeat, ac vicissim. Ita CICERO in Philipp. II. c. 2. discernit „gratiam, non virtutis spe-

cie; sed aetatis flore collectam“, et LUCRETIUS de rer. nat. III., 770. sqq. dum ait:

„Quove modo poterit pariter cum corpore quoque
 „Confirmata cupitum aetatis tangere florem
 „Vis animi?“ —

Quod in singulis quibusque hominibus observare licet, id etiam in Organismis digeneis humanis, quae connubiorum fundamenta sunt, ¹⁸⁾ obtinere, quotidiana docent exempla. In his enim, quia Organismus physicus a psychico non satis caute dignoscitur; utriusque consensus, sine qua tamen in matrimonia semper infeliciter cedunt, nullo modo procurari; nonnunquam tantum fortuito contingere potest.

Quam viam iam hic natura per duorum hominum, velut totidem Organismorum inferiorum, coniunctionem psychicam in altiorem nobilioremque Organismum psychicum inivit, eandem quoque stimuli socialis adminiculo prosequitur ad homines plures ita inter se nectendos, ut inde Consortia minora primum, dein Societates maiores, postea Civitates Regnaque oriantur, velut e minoribus nati maiores atque eminentiores Organismi psychici. Ultra haec autem simili progressu altiores gradus organicae perfectionis concipere licet, quos nempe cum in humanarum societatum omnium commu-

18) Vid. Burdach's Physiologie I., §. 203 — 221.

nione, qua genus humanum continetur, tum porro quoque in cunctorum mundi corporum coelestium complexu ac compage tota, quae *Universi* nomine venit, cernimus.

Atque ut de societatibus humanis maioribus videamus, quas *Civitates* et *Regna* vocamus, illae quidem, ut vitam plenam perfectamque, non modo physicam, sed nobiliorem eam, quae psychica est, floremque concipiant, *Organismi* primum physici, tum vero psychici naturam induant, oportet. Id vero duobus praecipue momenti, lege naturae viventis universae, uti e praecedentibus patet, stabilitis, efficitur, quorum aliud internam atque intimam, aliud aequalem coniunctionem inter *Potentiam* et *Materiam Organismi* intercedentem deponit.

Aequalis nempe coniunctio id exigit, ut una tantum adsit *Potentia* suprema, *Organismos* inferiores in eandem paremque comprehensionem iungens, communique vinculo nectens, quo dein omnes ceteri *Organismi* ad eam pertinentes tam ad mutuam singulorum quorumque conservationem, quam ad totius parem subsistentiam tuendam dirigantur. Quo ipso *Principium monarchicum* *Civitatibus* et *Regnis* ad vitam plenam floremque adducendis et diutissime conservandis necessarium aperte designatur.

Intimam vero coniunctionem, quam natura sola gignit, inter Organismos inferiores mutuo nexu interno iungendos, illud vinculum praebet, quo homines eadem gente nascentes natiq̄ue continentur, quod gentilitatem, nationis ingenium appellare licebit, alii recentiore vocabulo nationalitatem vocant. Quae denique inter Organismos inferiores et Potentiam superiorem intercedere debet coniunctio interna organica, ea tantum Successione naturali haereditaria Imperantis obtineri potest, quae nativam, perennemque necessitudinem organicam inter Principem civesque eiusdem societatis publicae procurat.

Quae cuncta, licet argumentum amplissimum, et consectoriorum ad vitam publicam recte instituendam spectantium maxime ferax suppeditent, hic tamen breviter duntaxat strictimque innuisse sufficiat, alio loco ac tempore uberius enucleanda.